COROLLARIA TRIA EX PRINCIPIO LOGICO DUCTA. QUAE 3. IDUS IANUAR. IN...

Jakob Bidermann, Marcus Stauber

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

COROLLARIA TRIA EX PRINCIPIO LOGICO DVCTA.

Quæ III. Idus Ianuar.

IN CATHOLICA CELEBRI Academia Dilinganâ;

PRÆSIDE

IACOBO BIDERMANO, SOCIETATIS IESV, PHILOSOPHIÆ PROFESSORE ORDINARIO;

DISPVTABIT

NOBILIS IVVENIS

MARCVS STAVBER, A MITTERHART, OENIPONTANVS, TYROLENSIS, PHYSICÆ STVDIOSVS.

Anno M. DC. XVII.

DILINGÆ,

Apud Viduam IOANNIS MAYER.

Coll. Rom. Soc. Jesu

Cat. Inscr.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

B. 5.

Digitized by Google

Illuſtribus ac Generoſis Dominis Dominis

FVGGERIS

liberis Baronibus à Kirchberg &
Weiſſenhorn,

IOANNI ERNESTO

Domino in Mindelhaim, & Pollvveil; Equiti Ordinis S. Iacobi de Eſpada; S. Cæſ. Maies:ti à Conſilijs; Ser:mo Ferdinando Archid. à Cubiculis, &c.

OTHONI HENRICO

Domino in Mindelhaim & Grienbach; Ser:mo Maximiliano Archid. à Conſilijs & cubiculis, &c.

Dominis Dominis Suis,

LIBERALISSIMIS MÆCENATIBVS

Has dedicat;
Studij ſui indices
Obſequij teſtes;
cum Natalibus anni Kalendis
Benè inchoandis, & ſæpè repetendis;
Marcus Stauber
cliens
æternum deuotus.

Digitized by Google

LOGICA, *inquit S. Thom. 1. poſt: lect. 1.* eſt rationalis ſcientia, non ſolùm ex hoc, quòd eſt ſecundum rationem, (*id enim omnibus eſt artibus commune*) ſed etiam ex hoc, quòd eſt circa ipſum actum rationis *dirigendum*, ſicut circa propriam materiam. *Ex quo principio tria Corollaria ducimus, ſubiectis theſibus explananda.*

COROLLARIVM I.

Operatio prima dirigibilis eſt ad diſſertationem.

THESIS PRIMA.

PRIMA *operatio*, eſt ſimplex rei apprehenſio, quâ obiectum citra compoſitionem diuiſionémue cognoſcitur. Ea quoties obiecto conformis eſt, *incomplexè vera*; eidem cum difformis eſt, *incomplexè falſa* habetur: quod an fieri *per ſe* poſsit, quæſtio nominis eſt. Nam ſi ad veritatem ſufficit, vt intellectus obiecto vtcunque repræſentato reſpondeat, capax erroris non erit: Erit autem, ſi requiritur, vt cum obiecto etiam reali conformetur. Vtrumuis fuerit; certè falſitas in operatione prima *per accidens* ſaltem reperitur: idq; vel intrinſecè, quà falſum iudiciũ virtualiter inuoluit; (qui enim *dulce* apprehendit vt *amarum*, virtualiter affirmat;) vel extrinſecè, quà occaſionem præbet, vt in iudicio formali erretur. a *Conimb. 1. perih. c. 1. q. 5. n. 5.*

2. Quo proinde fit, hanc operationem artificiosè *dirigibilem* eſſe; idque ſi non *ſuipſius*, ſaltem *obiecti* ratione. a Verſatur enim circa confuſam ſimplicium multitudinem; è quà intellectus, vt facilè quidque ſeligat, néue inquirens differentiam, genus apprehendat; aut relationem indagans, quantitatem concipiat; adeſt Logica, digeritq; tum *vniuerſalia* in quinq; ordines, tum *Prædicamenta* in decẽ claſſes. Quo artificio velut *obiectiuè* dirigi ſe prima operatio experitur. *Mex. præd. proœm. n. 2.*

3. Quamuis autem ſuum *Vniuerſale* eatenus Logica ſpectet, quatenus

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
Digitized by Google

aptum eſt de pluribus prædicari; ægrè tamen id facit, quin ſimul & de Metaphyſico diſſerat, quod *aptum eſt pluribus ineſſe.* Nec enim tam diuerſa hæc ſunt vniuerſalia, quàm diuerſæ vnius conſiderationes: ita vt Metaphyſicus eſſentiam, Logicus proprietatem eius contemplentur. Quia tamen *Vniuerſale* nomen connotatiuum eſt; nos de duplici eius ſignificato, tam de *Materiali*, quod primariò; quàm de *formali*, quod ſecundariò definitur, hîc agemus.

4. *Materiale* vocamus illud, quod Vniuerſalitati ſubſternitur. Excitauit hoc lites olim inter Platonem & Ariſtotelem; hodie inter Nominales & Reales. Verùm Ideas Platonis, quas ei nonnemo affictas ſuſpicatur, [a] philoſophia omnis repudiauit. *Nominales* adhuc litigant, dum *Conceptum formalem* faciunt vniuerſalem, quà *aptus eſt ſupponi pro pluribus vniuocè & diuiſim.* Sed, vt eiuſmodi conceptus in *ſignificando* ſit vniuerſalis; in *eſſendo* tamen & *prædicando* non eſt. Quomodo enim *aptus eſt ineſſe pluribus*? &c. Niſi fortaſsis, *eſſe in pluribus*, idem hodie valet, atque *Significare plura.* Quod quàm vanum ſit, iam alij monuerunt. *Mald.* in 26. cap. Matth. [a] *Vaſq. 1.p.d.71.n.1.*

5. Melius igitur *Reales* pro materiali ponunt Naturam, in ſingularibus realiter exiſtentem, & præcisè à nomine communi ſignificatam. Quanquam hi in eo adhuc diſsident, quòd alij *vnam eandemque formaliter* in pluribus collocant. Quod quid ferè aliud eſt, quàm I. eandem naturæ realis entitatem in pluribus locis ponere? II. Vniuerſale ante mentis operationem concedere? III. Animam v. g. neque creari poſſe de nouo; neque annihilari vnam, niſi ſimul omnes annihilentur, dicere? IIII. ex Deo vniuerſale facere? Nec verò effugiunt, per ſuum illud *formaliter & numericè.* Nam corpus v. g. formaliter vnum, vel communicatur cum pluribus ſecundum eandem phyſicam entitatem, vel non. Si primum; quomodo non locatur vnum numero in pluribus locis? aut quomodo manet eadem phyſica entitas, ſi tam diſcontinua? Si ſecundum; quomodo ſecum ipſi non pugnant?

6. Nos meliorem cauſſam amplexi, dicimus I. tot naturas realiter formaliterq; *multiplicari*, quot indiuidua diſtinguuntur. II. ante abſtractionem, eſſe quidem in natura *vnitatem formalem*; non tamen pluribus communicabilem. III. Petrum & Paullum nec *vnius*, nec *eiuſdem*, ſed *ſimilis* naturæ dicendos eſſe; idque vel ob *ſolam ſimilitudinem*, in vtriuſque vnitate formali; vel ob *identitatem rationis*, in vnâ vtriuſq; definitione fundatam. IIII. Petrum & Paullum non ideo vel *formaliter* vel *eſſentialiter* differre; licet enim habeant vnitates formales *diſtinctas*; non tamen etiam habent *diſsimiles*; vt habent *Equus & homo.* V. vnitatem

Digitized by Google

tatem Petri *formalem* à *Numerica* eiuſdem, per ſolam conſiderationem differre. VI. Naturam diuinam ideo non eſſe vniuerſalem, quia vna eademque *realiter* eſt in tribus perſonis; cum Ariſtotelicum vniuerſale requirat, vt vna eadémque tantùm *ſecundum rationem* pluribus inſit.

7. *Formale* ſignificatum vniuerſalis eſt, *vniuerſalitas*; quæ in duobus conſiſtit. I. in *vnitate præciſionis*, quâ natura ſine differentijs repræſentatur, per *notitiam abſtractiuam*. Et in hac *vnitate* fit natura *incompletum vniuerſale*; ita vt ſtatim illi debeatur quidem *vniuerſalitas completa*, licet actualiter ea non prius exiſtat, quàm natura cum inferioribus comparetur.[a] II. In *aptitudine ad plura*; quam acquirit natura per *notitiam comparatiuam*. [a] *Conimb. præf. porph. q 6 a 3. & 4.*

8. Ceterùm hæc ipſa aptitudo duplex eſt; altera *incomplexa*, quâ natura, per *ſimplicem & virtualem comparationem*, vt apta indifferens ad plura, refertur. Et ſecundum hanc fit actu *completum vniuerſale*, ſed actu nondum prædicatur. Altera *complexa*, quâ natura per *formalem & actualem comparationem*, velut per expreſſum iudiciū, vt apta indifferensq; ad plura refertur. Et ſecundū hanc vniuerſale *actu prædicatur. Mex. vn. q. 6.*

9. In actuali prædicatioue naturam manere vniuerſalem, licet aliqui negent; plures tamen affirmant. Quamdiu enim natura repræſentatur vt præciſa à differentijs, tamdiu vniuerſalis eſt. Atquî cùm actualiter prædicatur, neceſſariò repræſentatur ceu præciſa ab inferiorum differentijs, niſi identicè prædicetur, v. g. *hic homo eſt hic homo*: quod ridiculum eſt. Prædicatur igitur natura præciſa, v. g. *Petrus eſt homo*, id eſt, Petro conuenit humana natura ſecundum eſſentialia ſua prædicata, quæ nudè in illo conceptu abſq; differentijs Petri repræſentatur. *Conimb. cit.*

10. Ex quo colligimus I. In actuali prædicatione vniuerſale *extrinſecè* & ſecundariò tantùm determinari ad inferius; de ſe verò manere adhuc indeterminatum. II. Naturam manere vniuerſalem non modò in *Simplici* (in quâ tamen actualiter non ſolet prædicari) ſed etiam in *perſonali* ſuppoſitione (in qua actualiter ſolet prædicari;) dummodo repræſentetur vt præciſa.[a] III. Nihilominus naturam, licet [redacted] habeat ſtatus; *ſingularitatū*, [redacted] *præciſionis*, in ſolo [redacted] prædicari; cum in hoc ſolo repræſentetur *vt præciſa*: in primo, vt *contracta*; [redacted] [a] *Conimb. præf. porph. q. 6. a. 4.*

11. Porro tam *incompleta* quàm *completa* vniuerſalitas, cùm obiectiuè concipitur, veluti forma inhærens naturæ, fit ens rationis. Id enim *Ens rationis* dicimus, *quod, cùm ens re vera nec ſit, nec eſſe poſſit; ad modum entis tamen apprehenditur.* Fabricatur à ſolo intellectu humano; quamuis non deſint, qui idem & Angelico tribuant. Certè autem à diuino non

poteſt; cum productio entis rationis intrinſecè inuoluat imperfectum modum cognoſcendi. Quod verò factum ab intellectu humano ens rationis, ſaltem ſecundariò cognoſcat DEVS, multi negant. Cùm enim non exiſtat, niſi actualiter apprehenſum, fit, vt quot cognitionibus apprehenditur, tot entia rationis exſurgant; adeoque vnum idemq; ens rationis fieri bis, aut cognoſci à duobus non poſsit. Quod quidem certiùs in *primarijs cognitionibus*, quàm in ſecundarijs arbitramur. *Con. Vaſq.*

12. Vniuerſale, ad quinque tranſcendentales ſpecies, ſeu materialiter ſpectetur, ſeu formaliter, neque *genus* neque *vniuocum* eſt. Vniuoci enim generis differentiæ diuiſiuæ formaliter ſunt extra eſſentiam conceptûs generici, (teſte S. Thom. 1.p.q.3.a.5.) cùm tamen vniuerſalitas in differentijs prædictarum ſpecierum eſſentialiter includatur; ſicut conceptus entis in differentijs inferiorum entium; & contrà, hæ in illo includuntur. Quemadmodum verò nulla ex prædictis ſpeciebus tranſcendentaliter ſumptis, vniuoca eſt; cùm ſingulæ in omnibus ferè prædicamentis reperiantur; ita ſingulæ, quà prædicamentales ſunt, vniuocè de inferioribus prædicantur. In vulgatis earum definitionibus, primariò *natura*, ſecũdariò *vniuerſalitas*; illa vt *Quod*, hæc vt *Quo*, definitur.

13. Quidam hoc vniuerſalium numero non contenti, pro ſexto *Indiuiduum* adiungunt. Non probamus. Id enim vel eſſet *vagum*; & hoc non; quia neque eſt vnum per ſe, (cùm ex natura communi, & differentia indiuiduante indeterminata non coaleſcat vnum per ſe [a]) neque etiam poteſt differentia ſingularis, quantumlibet indeterminata, actu includi in vllo vniuerſali. Vel eſſet *proprium*; & hoc multo minus; cùm non ſit aptum prædicari de multis vniuocè ſecundum naturam realem, ſed tantummodò ſecundum nomen. Definitur autem Indiuidui natura ſingularis indeterminatè, vt ſubſtat ſecundæ intentioni; idque definitione æquiuocè vnâ. *Conimb. cit. q 7.a.1.*

14. Genus ac ſpecies eò ſunt eſſentialiter diſtincta vniuerſalia, quod illud vt *pars eſſentiæ*, hæc vt *tota eſſentia* de inferioribus prædicetur. Prædicari enim de pluribus *ſpecie*, aut *numero* differentibus, accidentale diſcrimen eſt: quod in Generica Specificáque differentia patet; quæ vtraque vnum eſt vniuerſale, eò quod vtraque prædicetur tantummodo vt pars. Etſi autem ſpecies plus actu contineat quàm genus; genus tamen vt eſt *totum potentiale*, plus virtute continet, quàm ſpecies. Quæ quidem continentia, aliud nihil eſt, quàm quædam determinabilitas, quâ genus per ſuas differentias poteſt contrahi. Interim genus actualiter continetur in ſpecie, totum quidem, ſed non totaliter, id eſt, ſecundum omnem perfectionem intenſiuam generis, non extenſiuam.

15. Quæ-

Digitized by Google

15. Quædam quaſi proprietates tribus primis vniuerſalibus attribuũtur. I. Sublato genere, tolluntur omnes ſpecies,& quicquid ſub genere collocatur. Vna verò ſpecie ſublatâ non viciſsim & genus tollitur. II. Si genus ponendum ſit, non proinde aut omnes ſpecies, aut determinatè vlla; quanquam vna tamen indeterminatè ponetur. III. De pluribus dicitur genus, quàm omnia reliqua vniuerſalia ſingillatim: excipe tam differentiam generis, quàm eius proprietatem. IIII. Poteſt genus *phyſicum* in vna ſpecie, & hæc in vno indiuiduo ſeruari: *Logicum* verò plura inferiora, ſaltem poſsibilia requirit.

16. V. *Genus* & *differentia* interdum ſunt *prædicata* ſpeciei, quà tota vniuerſalia; interdum ſunt etiam eiuſdem *partes*. quà vel abſtracta, vel in definitione poſita: Quia ſic gradum Metaphyſicum ſignificant, cùm præciſione vlterioris perfectionis. VI. Eadem, etſi ſunt *totum vniuerſale*; nunquam tamen vt ſic, ſunt *totum Metaphyſicum*; hoc enim eſt ſola *ſpecies*, quippe compoſita ex genere & differentia. VII. Species tam *ſubalterna*, quám *infima* duplicem habet relationem: alteram ad genus, quà dicitur *vniuerſale ſubijcibile*; alteram ad inferiora, quâ fit *vniuerſale prædicabile*.

17. *Proprium* debet cum ſubiecto immediato reciprocari. Quare *Senſitiuum* eſt hominis proprium, ſicut *riſibile* Petri; licet neque hoc cum Petro, neque illud cum homine conuertatur. Quamuis autem *proprium* ab *accidente* dignoſcatur per relationem ad *immediatum*; vniuerſale tamen agnoſcitur ex relatione ad *mediata* ſubiecta. *Inſeparabile* dicitur, quia formaliter ſub conceptu *proprij* neque realiter tolli, neque mentaliter ita de ſubiecto poteſt negari, quin ſemper ei debeatur. *Materialiter* tamen, prout abſoluta eſt entitas, tolli diuinitus poteſt: pars autem eſſentialis ne ſic quidem poteſt.

18. Alia conditio eſt *accidentis*. Id enim etſi *realiter* ſeparari à ſubiecto interdum nequit, mentaliter tamen poteſt: ita vt ſeu negetur adeſſe ſeu affirmetur, totum eſſentiæ conceptum ſaluum relinquat Quo indicio liquet *calorem naturalem, humidumq́; radicale, &c.* mera animalis accidentia eſſe. *Febris* autem & *mors*, ceteraque corruptiua meritò negantur in accidentibus Porphyrianis haberi. Quòd ſi maximè haberentur, nihilominus *adeſſe* & *abeſſe* ſine ſubiecti deſtructione poſſent; Quia neque materia (quæ, iuxta aliquos, accidentium eiuſmodi ſubiectum eſt, inhæſionis ſaltem, ſi non denominationis) neque eſſentiæ conceptus per mortem corrumpitur. Manet enim *homo animal rationale*, etiamſi deſinat exiſtere; alioqui prædicata eſſentialia non haberent *ampliationem*. Porrò *accidentium* realium aliud eſt *prædicabile*, opponiturq́;

ſoli

Digitized by Google

ſoli prædicato neceſſario: aliud *prædicamentale*, opponiturque ſoli ſubſtantiæ.

19. Receptus numerus prædicamentorum, auctoritate magis, quàm liquida ratione definitur. Eſt verò prædicamentum formaliter, ordo rationis, quo Metaphyſici gradus inter ſe diſponuntur. Neque enim gradus vniuocos in eodem indiuiduo plus quàm ratione diſtinguimus. In hoc tamen ordine directè ponimus, quicquid ſimul eſt reale, finitum, completum, incomplexum, vniuocum, & ens per ſe. Quare DEO indidem excluſo; Chriſtum Dn. quà *homo* eſt, admittimus; non item quà *perſona* eſt. Nam *homo* ſignificat concretum naturæ finitæ, connotátque ſubſiſtentiam diſiunctim qualemcunque. Ac proinde non *ſubſiſtentia*, ſed *natura* eſt ratio formalis, ſub quâ in prædicamento quidpiam ponitur: [a] quæ tamen natura cum in ratione ſubſtantiæ ſit incompleta; ideo in cõcreto per connotationẽ ſubſiſtentiæ cõpletur. *D.Th.apud Mex.*

20. In prædicamento *Subſtantiæ*, res ponuntur ſub *concreto Metaphyſico*: in ceteris ſub concreto tam phyſico, quam Metaphyſico (Abſtracta quippe Metaphyſica velut entia incompleta, nuſquam per ſe ponũtur.) Neque verò *phyſica concreta accidentium*, ſemper complexa ſunt, cùm formaliter ſolam formam ſignificent. Neque item ipſa *accidentia* ideò incompleta ſunt, quòd eorum nomina phyſicè abſtracta ſignificẽt formam, ſine connotatione ſubiecti. Satis enim eſt, vt retineant ſub abſtracto etiam nomine talem naturam, cui *conueniat inhærere vel adhærere ſubiecto*; etiamſi actu neque inhæreat, neque illam inhærentiam expreſsè connotet.

21. Nouem accidentium prædicamenta, quædam inter ſe ſolâ ratione differunt; quemadmodum ex 3. ph. t. 21. de *actione* liquet ac *Paſſione*; non repugnante contextu 22. A ſubſtantia tamen omnia vel *realiter*, vel *modaliter* diſtinguuntur: cùm de accidentium intrinſeca ratione ſit ſaltem aptitudinalis inhærentia vel adhærentia: idem autem ſibijpſi nec inhærere poſsit, nec adhærere.

22. *Subſtantia prædicamentalis*, omnis eſt per ſe completè ſubſiſtens: ita vt ei ex natura debeatur, modus exiſtendi per ſe completè, & independenter tam à ſubiecto inhæſionis & informationis, quàm à toto, cuius ſit pars. Et ſecundum hanc proprietatem tam *ſubſiſtendi*, quàm *ſubſtandi*, ita diuiditur ſubſtantia in primam & ſecundam, vt fiat mera enumeratio graduum, ratione diſtinctorum; quaſi dicas, Subſtantiarum alia eſt prima, quæ per ſe primò, alia ſecunda, quæ per ſe ſecundò ſubſiſtit.

23. Quare definitio Subſtantiæ vulgata, latius patet, omnis enim ſubſtantia, etiam incompleta, eſt, *ens per ſe exiſtens*. *Exiſtere* autem *per ſe*, vel

Digitized by Google

vel eſt præciſè *modus exiſtendi extra ſubiectum inhæſionis*; & ſic eſt mera proprietas ſubſtantiæ, quam Ariſtoteles vocat, *non eſſe in ſubiecto*: vel eſt *intrinſecus modus, quo ens ad ſubſtantiam contrahitur*; & ſic eſt quoddam quaſi principium radicale, ex quo emanat proprietas ſupra dicta.

24. *Quantitatis* ratio formalis conſiſtit in *aptitudinali extenſione partium ad locum*, non autem in actuali, aut entitatiuâ. Summum genus eſt, *Quantitas continua*, immediatè in tres infimas ſpecies diuiſa: quarum alia nulla formaliter in alia continetur. *Diſcretam* excludimus, cùm non ſit vnum quid per ſe. *Qualitatis* ſpecies in quatuor claſſes tribuuntur: in quarum primâ, Habitus & Diſpoſitio, licet accidentaliter nonnullis, alijs tamen videntur eſſentialiter diſtingui; ceterarum claſsium membra oppoſita ſolùm accidentaliter. *Qualitas* reſultans ex terminatâ extenſione viuentium, *forma*; inanimatorum, *figura* dicitur.

25. *Relationis* totum eſſe eſt *ad aliud*, videlicet ad terminum; etſi non totaliter, cum etiam ſit *in alio*, videlicet, in ſubiecto. In quo vt reſultet Relatio, tria fermè requiruntur; *fundamentum*, *ratio fundandi*, *terminus*. Et à *termino* quidem realiter; à *fundamento reſpectiuo*, interdum ſolâ ratione, ab *abſoluto* modaliter diſtinguitur; alioquî accidens prædicamentale nonnunquam entitatiuè ſubſtantia eſſet. Reſpicit formaliter terminum *abſolutum*, non correlatiuum: a alioquî filiatio creatâ prior eſſet (ſaltem naturâ) quàm paternitas, & rurſum hæc prior quàm illa; cùm neceſſariò prior ſit terminus relatione creatâ; quippe, quo poſito reſultet demum relatio, vt receptum axioma docet. a *Suar. met. d. 47. ſ. 16. n. 14. & ſeqq. cum Scot. Capreol. Soncin. 5. met q. 30.*

26. Ad multiplicationem terminorum multiplicantur etiam relationes, in eodem fundamento: neque enim abſurdum eſt, vt accidentia reſpectiua ſolo numero differentia, ſi ad diuerſos terminos, diuerſaque munia ordinentur, ſint in eodem ſubiecto. Prædicamentales relationes, ſunt denominationes à formis intrinſecis, ordinatis tamen ad terminos extrinſecos. Eædem, ſi ſint ſpecificæ, omnes ſunt mutuæ. (Summum enim genus relationis, correlatiuum non habet.) Item ſunt formæ accidentales, reſpiciuntque terminum præciſè ſub ratione termini: & inter earum correlatiua, datur ſubſiſtendi conſequentia. Ex quo patet, realem Petri & Paulli *ſimilitudinem*, fundatam in vnitate formali, eſſe relationem prædicamentalem. a Neque ſequitur tamen, eos accidentaliter tantum ſimiles eſſe, cum habeant fundamenta ſuæ ſimilitudinis vniuoca prædicata eſſentialia. a *colligitur ex Suar. cit. ſ. 16. n. 18.*

Digitized by Google

COROLLARIVM II.

Operatio Secunda dirigibilis eſt ad diſſertationem.

27.

S*Ecunda operatio* eſt *enuntiatio*, quâ aliquid de aliquo affirmatur vel negatur. In ea eſt veritas falſitáſue *complexa*; quæ cùm in *mentali*, tùm *vocali* enuntiatione deſumitur à conformitate aut difformitate, quam habet oratio cum *obiecto reali*. Nam à conformitate difformitateque *exterioris* orationis cùm *interiori*, enuntiatio *verax & mendax*, potius, quàm *vera vel falſa* dicitur. Quamuis autem aliquibus videatur, enuntiatio ſignificare *veritatem formalem*, id eſt, conformitatem inter ſe & obiectum; idq; non reflexè, ſed in actu exercito; rectius tamen dicitur ſignificare *veritatem obiectiuam*; [a] ita vt indicet *rem eſſe*, vel *non eſſe*, quod quidem Ariſtoteli 5. Met. c. 7. valet, *verum vel falſum eſſe*. [a] *Conimb. 1. perih. c. 4. q 3. a. 2.*

28. Vocalis enuntiationis partes materiales ſunt *Subiectum* & *prædicatum*; formalis, *copula*. *Verbum* in eâ tribus officijs fungitur, ita vt ſignificet *actionem*, connotet tempus, copulet *terminos*. Quare in omni enuntiatione reperitur *verbum*; etiam cùm materia eſt neceſſaria: vbi tamen *abſoluitur à tempore*, id eſt, non reſtringitur ad vnam determinati temporis differentiam, ſed ad omnes ampliatur. *Nomen* autem licet *ſignificare* tempus poſſit, *adſignificare* tamen cum certâ differentiâ nequit. *Infinitum* fit, cum ei negatio infinitans præponitur; cuiuſmodi eſt etiam *nonnihil* & *non ens*: per accidens enim eſt, quòd illud non de omnibus omnino dicatur: Nam Ariſtoteli etiam *non homo* infinitum eſt, neque tamen de homine dicitur.

29. Conuenit *nomen & verbum* in ratione ſigni. Signum verò adæquatè diuidimus in *naturale* & *ex inſtituto*. Nam *inſtrumentalia* alia ſub hoc, alia ſub illo continentur: & *formalia*, vel minus propriè ſunt ſigna, vel ad naturalia ſpectant. Vt enuntiatio tota eſt vox cõplexa ſignificans ex inſtituto; ſic ſingulæ eius partes ex inſtituto ſignificant Reſoluitur in partes materiales, quippe ſolas remanentes; formales enim artificiatæ, per diſſolutionem compoſiti pereunt.

30. *Enuntiatio mentalis* ſumpta formaliter, pro iudicio de conuenientia prædicati & ſubiecti, eſt ſimplex qualitas; neque enim, niſi antecedenter, ex pluribus conceptibus componitur. Adæquatè autem ſumpta, tres conceptus includit; duos ratione prædicati & ſubiecti; vnum

ratione

ratione copulæ: quare vt ſic, qualitas ſimplex non eſt. Ex *neceſſaria* materia, fit enuntiatio quælibet: ex *impoſſibili* nunquam contingens ex *contingenti* per ſe & in ſenſu diuiſo, ſemper contingens.

31. *Enuntiatio directa* eſt, in qua vel æqualia, vel ſuperiora ad inſtar formæ prædicantur. Alia dicitur *directa per ſe*, cum forma neceſſaria, vt homo eſt animal, eſt rationalis, eſt riſibilis: alia *directa per accidens*, cùm forma contingens prædicatur, vt homo eſt albus, animal eſt rationale. Aliter dicitur Enuntiatio *directa extra ſyllogiſmum*, aliter *directa concluſio ſyllogiſmi*.

32. Ad Enuntiationum abſolutarum *oppoſitionem* ſufficit repugnantia ſecundum affirmationem & negationem; qualem habent contrariæ ſolùm & contradicentes: Secundum veritatem & falſitatem non neceſſariò repugnant; vt in contrarijs ſæpe fieri videmus. *Aequipollentiam* earundem, ex noto Dialecticorum verſiculo diſcimus. Earundem *Conuerſio*, vt nunquam erret; requirit, tum ne extrema mutent ſuppoſitionem, aut ampliationem; tum ne extrema explicita inadæquatè conuertantur. Vtroque defectu innumeræ conuerſiones laborant.

33. *Enuntiatio affirmatiua*, cuius adæquatum explicitum prædicatum infinitatur, infert negatiuam finitam; v. g. *Homo eſt non potens ambulare; ergo non eſt potens ambulare*. Sin ſecus, non infert; v. g. *Homo poteſt non ambulare, ergo non poteſt ambulare*. Item, *affirmatiua finita* infert negatiuam, cuius adæquatum explicitum prædicatum infinitetur; v. g. *Petrus poteſt currere; ergo, non eſt non potens currere*. Sin ſecus, non infert; v g. Petrus poteſt currere; ergo, non poteſt non currere.

34. Vt *negatiua finita*, inferat affirmatiuam cùm infinitam, tum priuatiuam, requiritur ferme I. vt ſubiectum ſit exiſtens; II. vt prædicatum negatiuæ ſit ſimplex; III. ne enuntiatio ſit reduplicatiua. Hinc peccant hæ, *Antichriſtus non eſt albus; ergo eſt non albus. Homo non eſt animal volans; ergo eſt non animal volans. Homo quà homo non eſt niger; ergo, quà homo, eſt non niger. Affirmatiua priuatiua*, infert cùm affirmatiuam infinitam, tum negatiuam finitam, v.g. *Petrus eſt iniuſtus, ergo eſt non iuſtus; & ergo non eſt iuſtus*.

35. *Ab extremis diuiſis ad coniuncta*, tranſire non licet. I. ſi prædicata diuiſa vel inter ſe, vel cum ſubiecto accidentaliter tantum conueniant. II. Si ex diuiſis prædicatis, alterum actu in altero includatur. Si autem vel eſſentialiter inter ſe conueniant; vel virtualiter ſolùm alterum in altero contineatur, licet. *Ab extremis coniunctis ad diuiſa* tranſire non licet, I. ſi alterum ex coniunctis ſit reſtringens, ſeu diminuens: II. ſi alterum ex prædicatis alterum ampliet.

Digitized by Google

36. Enuntiationum ſingularium de futuro contingenti, licet ſecundum nos neutra neque vera ſit determinatè, neque falſa; tamen ſecundũ rem ipſam, ab æterno tã altera determinatè eſt vera, quàm altera determinatè falſa. Neque proinde tamen deſinunt eſſe contingentes. Alia ratio eſt, de enuntiationibus futuri contingentis, ita contradicentibus, vt vna ſit vniuerſalis, vna particularis: Nam harum altera plerumque etiam ſecundum nos determinatè vera, altera falſa habetur.

37. Implicat, vt propoſitio propriè inſolubilis aut vera ſit aut falſa; Quod ſic oſtenditur. Hæ duæ propoſitiones de ſe mutuò enuntientur;

I. Tu verum dices, *II. Tu falſum dixiſti.*

Iam neceſſariò fiet, IIam. ſi vera ſit, falſam eſſe; & contrà, veram, ſi falſa. Nam *ſi II. vera eſt, vtiq; verum dicit: dicit autem Iam. eſſe falſam; ergo I. omnino eſt falſa. Atquî I. dicit, IIam. veram eſſe; ergo falsò dicit; ergo II eſt falſa, eo ipſo quod ponitur eſſe vera.* Rurſus, *ſi II. falſa eſt, non dicit verum: dicit autem I. eſſe falſam; ergo I. non eſt falſa; ſed vera. Atquî I. dixit II. veram eſſe; ergo verè dixit. ergo II. eſt vera, eõ ipſo quòd ponitur eſſe falſa.* Quod abſurdum ne ſequatur, neceſſariò fatendum eſt, Inſolubilem nec veram nec falſam eſſe.

38. Nec obſtat, quòd omnis enuntiatio dicatur, *verum vel falſum ſignificare*: id enim intelligendum eſt, de omni eâ, quæ habet obiectum aptum ad menſurandam veritatem aut falſitatem propoſitionis; cum obiectum ſit menſura veritatis: Non autem de eâ, quæ vel tale obiectũ non habet; cuiuſmodi eſt inſolubilis, vel eâ, quæ obiectum omnino nullum habet; cuiuſmodi eſt, (*inquiunt Conimb. 1. περὶ ἑρμ. c. 4. q. 3. a. 3. ſub fin.*) ſi dicam, *Hic homo currit*, neminem interea indicando.

COROLLARIVM III.

Operatio tertia dirigibilis eſt ad diſſertationem.

39.

TErtia operatio eſt *diſcurſus*, ſiue *conſequentia*; ad quam non ſolùm plures enuntiationes, ſed quædam inter illas etiam connexio requiritur; ita vt altera dependeat ab alterâ, tanquam à cauſſâ. Neque tamen neceſſe eſt, vt antecedens propoſitio tempore prius cognoſcatur, quàm conſequens; ſed ſufficit prioritas naturæ. Identicæ, æquipollentes, formalesque conuerſiones propriè ad diſcurſum ſecundum cauſſalitatem non pertinent. Hic enim

eſt,

Digitized by Google

eſt, (iuxta S. Thom. de ver. q. 8. a. 15.) *cognitio vnius ex alio*: Conſequentiæ autem carentes medio, ſunt ſolùm *cognitio alicuius ex aliquo*. In diſcurſu veritas falſitaſque reperitur, alia quàm in ceteris operationibus; quam rectè *veritatem conſequentiæ* vocamus: Quæ quidem omnium maximè dirigibilis eſt.

40. In *conſequentiâ materiali eſt talis terminorum ſecundum quantitatem & qualitatem diſpoſitio, quæ non in omni, ſed aliqua ſolum materiâ concludit.* & terminos quidẽ ad materiã; ſed quantitatem, qualitatemque ad formam referimus: Alterutrum horum mutes, nihil conſtanter concludetur. v. g. *Omnis homo eſt animal; ergo, omnis homo eſt ſenſitiuus.* Rectè. Muta materiam, *omnis homo eſt animal; ergo,* omnis *homo eſt* equus. malè concludetur. Hæc autem ne conſequentia quidem eſt, *Homo eſt animal; ergo, homo eſt rationalis.* Habet porro *materialis conſequentia* omnis terminum in conſequente; quem non habuit in antecedente.

41. In *conſequentiâ formali eſt talis terminorum cùm ſecundum quantitatem & qualitatem, tum ſecundum ſubiectionem & prædicationem diſpoſitio, quæ independenter à quauis materia, concludit.* Eſt verò inter omnes argumentationis ſpecies, ſolus *Syllogiſmus* conſequentia formalis; Nam *inductio*, vt fit ex enumeratione omnium earum partium, quarum experientiam habemus, argumentatio quidem eſt, ſed conſequentia tantum materialis; vt verò fit ex enumeratione abſolutè omnium partium, eſt quidem formalis conſequentia, at non etiam argumentatio. Deniq; *Exemplum* & *Enthymema* etſi argumentatio eſt, per ſe tamen formalis conſequentia non eſt.

42. *Conſequentiâ formalis* nullum admittit terminum in conſequente, qui non fuerit in antecedente. Eadem tamen, ſi ſimul fuerit argumentatio, aliquem terminum requirit in antecedente, qui non ſit in conſequente; vt autem in *materiali*, pro ratione materiæ iam neceſſariò, iam probabiliter; ita in *formali* conſequentia ſemper neceſſario concluditur; etiamſi conſequens ſit contingens aut impoſsibile. Ex neceſſario, ſufficit vt ſequatur, neceſſarium in ſenſu compoſito; etiamſi in diuiſo interdum ſit contingens: cuiuſmodi eſt, v.g. *I. Omne ridens eſt animal; ergo aliquod animal eſt ridens. II. Omnis Grammaticus eſt homo, ergo, aliquis homo eſt Grammaticus. III. Omnis phyſicus eſt philoſophus; omnis phyſicus eſt homo. ergo aliquis homo eſt philoſophus.*

43. Verùm ad hæc bifariam reſpondent. Alij negant præmiſſas eſſe *neceſſarias*: porro non negaturi, ſi ipſarum contradictorias eſſe impoſsibiles cogitarent. Alij latére *quatuor terminos* putant: Nam verbum *EST*, aliter in præmiſsis, aliter in concluſione uſurpari. Sed ſi bene ad-

 uerterint,

uerterint, reperient illud vtrobique neceſſariam connexionem indicare; quanquam ibi neceſſariam *abſolutè*; hic in *ſenſu compoſito*. Nec magis hoc eſt mirum, quàm quod poſsit, *abſolutè impoßibile* ſequi etiam ex antecedente, quod in *ſenſu* ſolùm *compoſito* ſit *impoßibile*; v. g. *poßibile eſt omne nigrum eſſe coruum; poßibile eſt omne nigrum eſſe equum. ergo, poßibile eſt aliquem equum eſſe coruum.*

44. Ex *falſo* licet *verum*, & ex *contingenti* ſequatur *neceſſarium*; id tamen non fit tanquam ex cauſſa veritatis aut neceſsitatis; ſed ſolùm illationis, propter talem terminorum diſpoſitionem. Suam autem veritatem neceſsitatémue talis concluſio ſumit ab obiecto, cui eſt conformis; perinde ac ſi eſſet extra conſequentiam. Ex *contingenti* nunquam *falſum* ſequitur in ſenſu compoſito; licet in diuiſo id falſum eſſe poſsit. v. g. *Omnis Grammaticus iam ambulat; omnis homo eſt Grammaticus. ergo, omnis homo iam ambulat.* Axioma, *quod concluſio ſequatur debiliorem partem*, non de veritate aut neceſsitate, ſed ſolùm aut præcipuè de quantitate & eſſentiali qualitate eſt accipiendum.

45. Pro *medio diſcurſûs inueniendo*, has regulas agnoſcimus. I. eſt; ad quæſtionem affirmatiuam cùm vniuerſalem, tum particularem in eâ contentam, medium eſto *conſequens ſubiecti, & antecedens prædicati*. II. Ad affirmatiuam particularem, in vniuerſali non contentam, medium eſto vel *antecedens ſubiecti, & conſequens prædicati*; vel *vtriuſq; antecedens*. III. Ad negatiuam cùm vniuerſalem, tum particularem in eâ clauſam, medium eſto *conſequens ſubiecti, & repugnans prædicati*. IIII. Ad negatiuam particularem in vniuerſali non clauſam, medium eſto *antecedens ſubiecti, & repugnans prædicati*. Hæ regulæ ſubiectis vocibus comprehenduntur.

[handwritten in margin:] ue repugnans ...biecti, et conſe...ns prædicati.

Fecana. Cageti. Daſenes. Hebare. Gedaco.
2 Gebali, ſtant. Sed non ſtant Febas, Hebas & Hecas.

Quarum vocum tres vltimæ diſſyllabæ ſignificant inutilem *medij* cum extremis combinationem. Ceterarum vocum vltima quæque vocalis indicat concluſionē probãdam: Ac præterea ſignificat in iiſdē vocibus. A. prædicatum; *eiuſq; medium conſequens B. antecedens, C. repugnans D.* E. Subiectum; *eiuſq; medium conſequens F. antecedens G. repugnans H.*

46. Sub ſyllogiſmo apud Ariſtotelem definito, ſolus *probatiuus* propriè comprehenditur; vt proinde rectè reijci dicatur, is, qui conſtat apertè falſis. Nec obſtant I. exempla Ariſtotelis; nam litteras ille pro ſignis terminorum poſuit, vt oſtendaret formam ſyllogiſticam ab omni determinatâ materiâ liberam. Nec obſtant II. Syllogiſmi deducentes ad impoſsibile. Hi enim etſi reipſa progrediuntur ex apertè falſis; tamen

Digitized by Google

tamen tales non videntur ei, cui proponuntur. Nec obſtat III. illa *ſyllogiſmi poteſtas*, quà *verum ex falſo* dicitur colligi ; tum quia id ſolùm eò ſpectat, vt neceſsitas formæ oſtendatur: tum quia illud ipſum *falſum*, prius debet ceu probabile admitti; quemadmodũ in pſeudographis fit, &c. à parte rei tamen, ſyllogiſmi non ſunt, cũ non ſint argumentationes.

47. Materia ſyllogiſmi *ſimplicis*, in tribus propoſitionibus, totidemque terminis conſiſtit: plures aut *coniunctum*, aut *malum* ſyllogiſmum faciunt. Ac termini quidem variantur ſemper, quoties ſuppoſititio generica mutatur, v.g. *materialis* in *formalem*, *perſonalis* in *ſimplicem* : non item cùm *diſtributiua* in *confuſam*: (vt fit in *Barbara*, *Darij*, &c.) quippe cùm hæc in illa contineatur, velut particularis in vniuerſali: neque item *appellatio* per ſe terminos variat. Concluſio, non eſt pars ſyllogiſmi, accepti pro cauſſâ illatiuâ; ſecus, ſi accipiatur pro integro diſcurſu. Eadem etſi materialiter in præmiſsis continetur, ratione terminorum; formaliter tamen eſt aliquid diuerſum, ratione nouæ connexionis extremorum, quæ in præmiſsis non fuerant inter ſe formaliter iuncta.

48. Forma boni Syllogiſmi ſimplicis non niſi in tribus figuris eſſentialiter diuerſis reperitur. Nam Galenus nihil diuerſum habet. In ſola I. concludi indirectè poteſt. Quia in reliquis, maius extremum ſemper in concluſione prædicatur; quod ideò *in Secunda*, *ſimilius medio* ; *in Tertia*, *eidem diſsimilius* ab Ariſtotele dicitur. Eſſentialiterne *modi* omnes differant, quæſtio nominis eſt. Nam ſi *modum* intrinſecè conſtituat concluſio; differentſ ſecus, non item. Quod ſi in *Diſamis* v.g. & *Datiſi*, nõnunquam nullum apparet concluſionis diſcrimen ; id ſolet per accidens, id eſt, in materia vniuerſali, aut neceſſaria fieri : per ſe tamen & formaliter *conuertens* alterius eſt alterius *conuerſa*.

49. Syllogiſmi abſoluti *ex obliquis*, tutius in terminos rectos reſoluuntur. Nam eorum præcepta quædam fallunt. *Hypothetici* non ſunt ad leges *communium* examinandi. Nam in ijs videtur ex duabus negatiuis concludi: quanquam, ſi propriè loquamur, negatiuæ non ſunt; cùm in ijs non tam copula, quam conditio debeat negari. Syllogiſmi *ex terminis infinitis*, ſi varietur medium ex finito in infinitum ; inferunt ex duabus tam negatiuis, quàm affirmatiuis negatiuam : Quanquam re verâ æquipollent affirmatiuæ. *Excluſiui* primæ figuræ, ex ambabus excluſiuis, inferunt excluſiuã: in reliquis, ex maiori vniuerſali & minori excluſiua, non excluſiuã. Pro *exceptiuis* hanc regulã tradit Eccius, 1. pr. q. 7. dub. 2. *Ex minori ſola exceptiua ſequitur non exceptiua*. Rectè fortaſſis, pro materia contingenti: Nam in neceſſariâ, fieri contrarium ſolet.

50. Principia *regulatiua* ſyllogiſmi communis, alia ſunt generaliſsima,

ma, *Dici de omni, & dici de nullo*; à quibus primam vim ſuam & concludendi neceſsitatem accipit. Alia ſunt magis ſpecialia; eaq; partim omnibus figuris communia, partim ſingulis propria; de quibus copioſè Fonſ. 6 VI. Inſt. Nos illis vnum addimus: vt medium bis in ſolis præmiſsis, adæquatè cum omnibus adiunctis; extrema itidem ſemel in præmiſsis, ſemel in concluſione adæquatè ponantur. Hinc vitia complurium ſyllogiſmorum ex obliquis deprehenduntur. *Expoſitorij* alio principio regulantur; videlicet; *Quæ ſunt eadem vni tertio* (tali, quod nec ſit plures res, nec realiter idem cũ eo, quod eſt plures res) *ſunt eadem inter ſe.* Quæ autem ita ſunt ad vnum tertium affecta, vt alterum ſit idem illi, alterum non idem; non ſunt eadem inter ſe. *Perfectiua* denique principia, tria numerantur; *Conuerſio, deductio, expoſitio:* Quibus indigent ij ferè ſyllogiſmi, qui neceſſariò quidem, ſed non item euidenter concludunt. Quales ſunt omnes, præter quatuor primos.

AD DEI DEIPARÆQVE VIRGINIS GLORIAM MAIOREM.

Digitized by Google